

HARALDV NORVEGIAE PRINCEPS.



HAraldus ex illustri familia principum Septentrionalium natus fuit. Hic cum aduersariorū potentia patria pelleretur, Bizātium se contulit, anno Christi 1120. Ibi à Græco Cæsare homicidiū criminis damnatus doméstico draconi lacerandus obiicitur. Huic in carcerem eunti ingenuæ fidei seruus ultrò se comitem adiecit. Itaq; carceris custos utrūq; per os antri inermē demisit, atq; Haraldum linteo tantum discinctum exceptit. Tunc Haraldus lecta cadauerum ossa arcte colligans ueluti clauam efficit. Cumq; allapsus draco in obiectam auide prædā irrueret, dorsum eius ueloci saltu ascendens, cultellum, quem secum clam attulerat, umbilico draconis, qui solus ferro patebat, immisit sectionem enim rigidissimis squamis obitus serpens cætera corporis parte spernebat. Huc cultellum postea Vualdemarus rex (res gestas cognoscendi & referendi cupidissimus) rubigine exsum, uixq; secandi ministerio sufficientem (ut Saxo testatur) familiaribus saepemonstrabat.